



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

illud, & à seculis rarò auditum, Chronologi, constanti calamo testantur: Eundem vix triennio obtentam, dignitatem, tædio humanarū rerū victum abieciſſe; ad amicā sibi Monasticæ vitæ quietem properāſſe; fratri ADOLPHO *Ecclēſiam* relinquēs, *cucullum Montis* VETERIS Coenobio, auro generoso induens, quod *Cisterciensis* familiæ *nobile Asceterium* suis impendijs erexit, & fundavit Adolphus primus & ipse Altenanæ familiæ Dux & Caput. Habent hoc in loco plurimi *Montani Duces sua reconditoria*, & monumenta; ex longā nocte olim ad tubam magni Angeli, lucem præstolantes. Fuit hic Bruno admodum familiaris D. BERNARDO, cuius etiam Spiritum, sanctōsque mores, genuinus S. Magistri Discipulus, dum vixit, expressit. Salve ô nobile terris, & DE Q. Sanctorum par! *Buzel. Annales & alij.*

IX.

WALRAMVS Comitum IULIACENSIVM, vt & sanguinis, ita & virtutum heres. Legitimis Cleri votis Colonienſi Cathedræ impositus, spes de se conceptas non fefellit. Is cum sciret vnicam salutem imperantis esse ex lege DEI

republicam gerere, justitiam, æquitatem tueri, non admittebat lymphatam illam, & semet ebriam Politicam sapientiam, quam currens quidem, sed extra viam, & metam non pertingere affirmabat: errare etiam vehementer illos, quòd sanctitatem, fidem, pietatem, virtutes, inter privata bona reponerent, & Regentes, quã juvat ire, viã permitterent, quod uti prorsus impium detestabatur, utpote non nescius *remotã justitiã, Regna non nisi magna esse latrocinia;* & Regentes propterea cautos optaret, *quod, ut calum sidera,* ita Rex circumferat populum; quod suo ille exemplo regendi que munere octodecim annis verissimum probavit, *subditis sub arbore & ficu suã DEI intimore, altã pace viventibus:* licet invidia virtutum individua comes hanc ei, subditisque fortunam in vitæ coronide (ã potenti manu valde presso) inviderit; & cum nullum telum acutius calumniã; nec magis quidquam timendum quàm iniquitas & perfidia impij: subditis paterno continuòque mærore compassus, Iustitiæ, Beneficiæ, Religionis Munimentis clarus, vitam hoc in orbe amisit, in altero reperit: *Corpore amoris sui tessera* gregi suo commisso

misso Coloniae, & relicto. *Bucel. in prima sacra Germaniae parte.*

X.

Alter erat *BALDERICVS, Comitis Montensis Filius*, quintus & decimus *Leodiensium Episcopus*, cui in litteris instituendus à primis annis, commissus est *S. BRVNO generosa Regum Soboles*. Dies consilij de republica capiendis; precibus autem noctes quotidie dabat. Præfuit annis duntaxat tribus; at senio meritòque gravis *A. D. DCCC. LVI* discessit, & in sua sibi Ecclesia sepulchrum posuit. *vide R. P. Jacobum Lobbetium in sua gloria Leod. Ecclesie.*

XI.

Vltà functum esse Februario exeunte, ad annum *MCCCC. XIX.* *IOANNEM Heinsbergium* fasti memorant *Leodienses*. Fuit is excellentissimi *Dynastæ Ioannis Heinspergij & Lezvenbergij* heres, ex *Archidiacono Hasbania*, *LII Leodiensis Episcopus*, cum *Archiepiscopis Colonien- si & Trevirensi Cruce signatus*. *Legato Apostolico Expeditioni bellicæ contra Hussitas in Bohemia nomen dedit*; peregrinationem *Hierosolymitanam* suscepit; sed structis in via insidijs inter-

F 3

misit;